



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 31. Scriptorum religione Catholicorum opera & obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Electoris Filius & Fridericus Ludovicus Sæc. XVIII.  
 Wirtenbergæ Dux, necnon die decima A. C. 1709.  
 quarta Decembris Guilielmus Anhalti-  
 nus Princeps obiit. Exeunte demum  
 Mense Januario decessit Venetiis Sar-  
 nadus Tarvisinus Episcopus, atque Oe-  
 niponti die secunda Augusti Elisabetha  
 Amalia Philippi Guilielmi Neoburgicæ  
 lineæ Principis Palatini conjux, quæ  
 Georgii II. Hasso-Darmstadiensis Land-  
 gravii Filia Düsseldorfii Catholicam fi-  
 dem amplexata anno ætatis suæ septua-  
 gesimo quarto naturæ debitum solvit:  
 His quoque accensendus est celeberrimus  
 Venetæ Reipublicæ Dux Aloysius  
 Mocenigo, qui anno ætatis octogesimo  
 tertio dignitatem suam Joanni Cornaro  
 cessit.

§. XXXI.

*Scriptorum religione Catholicorum  
 opera & obitus.*

Paucos ex Scriptoribus Ecclesiasticis Mem. de  
 hoc anno denatis, quorum memo- Trevaux  
 ria ob eorum lucubrationes celebrior p. 1396.  
 est, recensere lubet, & primo quidem Hist. de  
 Parisiis anno ætatis suæ octogesimo l'Acad.  
 quarto die vigesima quarta Januarii de- Royal t. I.  
 cessit Franciscus de La Chaise Jesuita, pag. 462.  
 qui, cum Ludovico XIV. Galliarum Regi Bibl. Hist.  
 per triginta annos a confessionibus esset, des Auth. de  
la Congr.  
Mem. des  
 I 2 ejus-

Sæc. XVIII ejusdem animum adeo sibi devinxit,  
 A. C. 1709. ut omnium arcanorum particeps in re-

*Homm. Il-  
 lust. p. 14.  
 tom. 3.*

bus Ecclesiasticis supremam pene haberet auctoritatem, cunctaque Regni beneficia pro suo arbitrio distribueret: unde æmulum invidiam, quæ invidua Regiæ confidentiæ comes est, sibi accersivit, quamvis ceteroquin inculpatæ vitæ Vir, prudentia & eruditione conspicuus esset: Hujus Jesuitæ vitam describere nonnulli, quibus tamen nulla fides habenda, cum nil nisi calumnias nequidem vero similes, sed pro libitu adinventas contineant: Extant illius epistolæ, & duo volumina Philosophiæ. Porro hic Jesuita mortuus vicinus scriptum confecit, in quo septem Jesuitas in Confessarium a Rege eligendos proposuit, ex quibus tamen Rex, suadente Mentenonia Regis Armenia, necnon Carnotensi Episcopo & Parocho ad S. Sulpitium Patrem Michaellem Tellierum Jansenistis infestissimum nominabat. II. Abrahamus a S. Clara Ord. FF. Eremitarum Discalceatorum S. Augustini, qui Viennæ per quadraginta annos non sine maximo auditorum applausu ad populum dixit, sed inspersis suis facetiis potius aures demulcere, quam animum inflammare, necnon Apostolicam veritatem Divini gravitatem lædere a nonnullis crede-

credebatur: Obiit Viennæ die prima <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 Decembris annos natus sexaginta se- <sup>A. C. 1709.</sup>  
 ptem: Scripsit quamplurima non mi-  
 nus jucunda, quam facunda, ex qui-  
 bus tamen primas obtinet ejus Gram-  
 matica Religiosa. III. Theodoricus  
 Ruinartius Benedictinus Congregatio-  
 nis S. Mauri edidit celeberrimum opus,  
 cui titulus: *Acta sincera & selecta Mar-*  
*tyrum*: notis quoque admodum erudi-  
 tis illustravit Victoris Vitensis historiam  
 persecutionis Vandalicæ, Gregorii Tu-  
 ronensis opera omnia, necnon Frede-  
 garii Scholastici Epitome & chronicum.  
 Elucubravit etiam Apologiam missionis  
 S. Mauri in Franciam, Dissertationem  
 de Martyrio S. Placidi, & Sociorum,  
 Disquisitionem historicam de Pallio  
 Archiepiscopali, Ecclesiam Parisiensem  
 vindicatam contra P. Garmonium, com-  
 pendium vitæ Mabillonii, cujus etiam  
 acta Sanctorum, atque annales prose-  
 cutus est. Decessit Parisiis die vige-  
 sima septima Septembris expleto anno  
 ætatis quinquagesimo tertio. IV. An-  
 tonius Michael Fouqueré ex eadem  
 Congregatione, qui ex Græco in lati-  
 num idioma transtulit acta Synodi Je-  
 rosolymitanæ contra Calvinistas Anno  
 1672. celebratæ. Obiit Meldis die ter-  
 tia Novembris annos natus sexaginta  
 octo. V. Ægidius de la Baume le

Sæc. XVIII. Blanc de Valliere Nannetensis Episcopus, qui libro suo, cui titulus: *lumen Christiani* ingens sibi nomen comparavit, & anno ætatis suæ nonagesimo tertio decessit. VI. Antonius Pouge Benedictinus elucubravit Institutiones linguæ Hebraicæ, & primum tomum operum S. Hieronymi, latine etiam et Græco reddidit *Analecta Græca*, & vitam S. Cyriaci. VII. Isacc Papius qui ejurato Calvino ad veræ Ecclesiæ gremium reversus, edidit specimen Theologiæ, fidem justis limitibus circumscriptam, tolerantiam Protestantium & auctoritatem Ecclesiæ, cujus tamen libri titulus utpote æquivocus post ejus obitum in Leodiensi editione nova & aucta fuit immutatus, inscriptusque: *Duplex via in materia Religionis, examen particulare & auctoritatis*. Parisiis quoque prodire omnia Papii opera in tres tomos divisa, ibidemque Auctor anno ætatis suæ quinquagesimo secundo die decima nona Junii mortalitatem exiit. VII. Gedeon Pontier Protonotarius Apostolicus, qui pariter e Calvini secta ad Catholicorum castra transiit, & elegantissimas epistolas necnon tres tomos de *Viris Illustribus* scripsit.